

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3867

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Évreux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1279, août

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime la charte de Guiard le Gruier et son neveu Jean dit le Petit et confirme la vente de leurs terres faite par cette charte au chapitre d'Évreux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 935, p. 233-235.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Guiardi Le Gruier, civis Ebroicensis, et Johannis dicti Parvi, ejus nepotis, vidimus in hec verba :
Noverint universi presentes et futuri, quod nos Guiardus dictus le Gruier, civis Ebroicensis, et Johannes dictus Parvus, nepos meus, vendidimus, concessimus et in perpetuum, venditionis nomine, dimisimus et dimittimus, unanimi assensu nostro ac etiam voluntate, venerabilibus viris decano et capitulo Ebroicensibus quadraginta acras terre, quas habebamus, tenebamus et possidebamus in parrochia de Guitheboto, Ebroicensis diocesis, quidquid juris, actionis, proprietatis et possessionis habebamus seu habere poteramus vel debebamus in eisdem terris, quoquo modo, in dictos decanum et capitulum et eorum successores in futurum proinde totaliter transferendo ac cedendo. Quarum siquidem terrarum quinque acre situate sunt ad maram de Longo, et junguntur, ex uno latere, terris heredum Petri dicti Foulon, et ex alio latere, terris heredum Richardi dicti La Vaque. Item septem acre situate sunt immediate juxta quinque acras predictas, et abotant, ex uno latere, terris Johannis Doule et Richardi de Mara, et, ex alio latere, terris Rogeri de Malo rege. Item dimidia acra situata est ad spinam de Monteforti, inter terram Laurencii de Estambosc, ex uno latere, et Durandi Feis sui, ex alio. Item quedam virgata sita est inter terram Galteri de Guitheboto, ex una parte, et terram Roberti Boutet, ratione uxoris sue ex altera. Item tres acre site sunt in territorio quod dicitur les Boutis, inter terram Auffredi Pichot, ex uno latere, et terram Johannis dicti Esperon, ex altero, et abotat, ex una parte, ad terram Radulphi Viart, et, ex altera, ad terram Auffredi Pichot. Item tres acre site sunt ad foveam Clichart, inter terram heredum Guillelmi Bordel, ex una parte, et terram domini de Guitheboto, ex altera, et abotant terre Johannis Esperon, ex una parte, et terre heredum Durandi Filz Esperon, ex altera. Item quedam virgata sita est inter terras Roberti Fislz à Esperon, ex utraque parte, in masagio. Item due acre site sunt inter terram Gilleberti Bordel, ex una parte, et terram Gilleberti Filz Esperon, ex altera, et abotant ex una parte, chemino domini regis, et, ex altera, terre domini de Alneto. Item virgata et dimidia cum septem perticis site sunt ad clausum Petri Vacarii, inter terram Michaelis dicti Maritati, ex una parte, et terram Johannis Esperon, ex altera. Item due acre

site sunt in territorio quod dicitur ad Maram au Faut, inter terram heredum Emmeline de Perrecio, ex uno latere, et terram Andree dicti Minon, ex altero, et abotant, ex una parte, ad cheminum domini regis, ex altera, ad terram relicte Philippi de Malo rege. Item una virgata sita est inter terram Roberti dicti Chevalier, ex uno latere, et terram heredum Gauffridi Maritati, ex altero. Item una virgata sita est in territorio quod dicitur au Reous, inter terram Roberti dicti Chevalier, ex uno latere, et terram heredum Gauffridi Maritati, ex alio. Item due acre et virgata et dimidia site sunt in territorio quod dicitur Mara Roberti, inter terram heredum Victoris, ex una parte, et terram domini de Guitheboto, ex altera, et abotant, ex uno latere, terre domini de Guitheboto, et, ex altero, terre Guillelmi Le Marie. Item tres acre site sunt in territorio quod dicitur Bagalon, inter terram heredum Petri de Furtio, ex una parte, et, ex altera, terram Sancti Petri, et abotant, ex uno latere, terre Gauffridi Capicherii, et, ex altero, terre domini de Alneto. Item tres acre et una virgata site sunt ad Maram Obichon, inter terram heredum Johannis de Blivello, ex una parte, et terram heredum Guillelmi Bordel, ex altera, et abotant terre Petri dicti Clerici, ex una parte, et, ex altera, terre Odonis Mauritii. Item virgata et dimidia site sunt ad Maram de Campo Fali, in[ter] terram heredum Droconis Ernaudi, ex una parte, et terram heredum Roberti Milonis, ex altera, et abotant terre heredum Andree dicti Baout, ex uno latere, et terre Aufredi Pichot, ex altero. Item tres virgate site sunt ad Longam Raiam, inter terram Odonis Fabri, ex uno latere, et terram Galteri de Guitheboto, ex altero, et abotant terre Asseline dicte La Torte, ex una parte, et terre Ricardi de Mara, ex altera. Item quedam virgata sita est ad Maram Retoice, inter terram Roberti Elinant, ex uno latere, et terram Rogerii de Bosco, ex altero. Item dimidia acra sita est ad foveam Huye, inter terram Albini de Malo rege, ex uno latere, et terram Robini Leurous, ex altero, et abotant terre Mathei Monachi, ex una parte, et terre heredum Petri Fullonis, ex altera. Item quinque acre et dimidia site sunt in masagio quod dicitur Guiardi le Gruier, inter semitam qua itur Ebroicas, ex una parte, et terras dictorum Guilleberti Filz Esperon, Johannis Mauricii, Johannis Naparii, et heredum Victoris, ex altera, et abotant terre Richardi Cauvet et chemino ville, ex altera, prout predictae terre in longum et latum se extendunt et proportant. Pro quinquies centum et sexaginta libris turonensibus, de quibus a dictis decano et capitulo tenemus nos plenarie pro pagatis in bona peccunia numerata, et, quantum ad hoc, renunciando exceptioni non numerate peccunie hujusmodi, non habite, non recepte, repromittentes propter hoc nos predictas terras dictis decano et capitulo et eorum successoribus garantizare et deffendere contra omnes et in omnibus, ac etiam deliberare adversus dominos capitales et alios quoscunque, quocumque nomine consenceantur (sic), excepto domino rege Francie tantummodo, ab omnibus juribus, redibentiis, serviciis, exactionibus mundanis, corveis, releveis, obligationibus, auxiliis feodalibus et impedimentis aliis quibuscunque, ita quod predicti decanus et capitulum et eorum successores in futurum predictas terras sic liberas, pacificas et quietas tenebunt et jure hereditario in perpetuum possidebunt, absque contradictione et revocatione nostri vel heredum nostrorum super hoc in posterum faciendis. Qui insuper nos prenominati Guiardus et Johannes promittimus, pro nobis et heredibus nostris, predictis emptoribus, quod de cetero contra venditionem, concessionem et dimissionem predictas, per nos vel per alios, non veniemus, nec aliquid in premissis venditis aut aliquo premissorum reclamabimus seu reclamari faciemus aliquo jure, aliqua de causa, consuetudine ac ratione quacumque, et, quantum ad omnia et singula premissa inviolabiliter observanda, nos sepredicti Guiardus et Johannes obligamus nos et heredes nostros et reliquimus penitus obligatos, cum omnibus bonis nostris mobilibus et immobilibus, presentibus et futuris, acquisitis et acquirendis, ubicumque fuerint inventa, et quocumque jure seu nomine concenceantur (sic), specialiter et expresse decano et capitulo predictis et successoribus eorundem, renunciando in hoc facto exceptioni doli mali, actioni in factum directe, et utili exceptioni deceptionis ultra dimidiam justii precii, omni statuto et consuetudini cujuslibet civitatis, patrie et loci, et omni juris auxilio canonici et civilis, per quod contra premissa vel aliquod premissorum possemus nos deffendere vel tueri. Et ut hoc ratum et stabile permaneat in futurum, sigilla nostra presentibus litteris, in hujus rei testimonium, duximus apponenda, et, ex habundanti, ad petitionem nostram cum humili supplicatione, venerabilis vir dominus officialis Ebroicensis curie sigillum ipsius curie, ad majoris rei affirmationem, fecit inseri cum nostris sigillis hiis presentibus vel apponi. Actum et datum anno Domini millesimo CC° septuagesimo nono, die veneris in vigilia nativitatis beati Johannis Baptiste.

Nos autem, omnia predicta et singula rata habentes et grata, et ea auctoritate nostra regia confirmantes, volumus [et], quantum [in nobis est], concedimus quod ipsi decanus et capitulum et eorum successores eadem perpetuo teneant et habeant absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo in aliis jure nostro et jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, mense Augusto.